



## **Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.**

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum  
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra  
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure  
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;  
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &  
heriditarias quasi successiones

**Epo, Boetius**

**Duaci, M.D.LXXXIIX.**

39 Tempus iuris huius.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

Urbanus III.

**Q**uæsitum est ex parte tua, si commutationes fieri valeant prabendarum; cum commutatio dignitarum in Turonensi concilio fuerit interdicta. Sunt enim quidam qui prabenda sua cedunt, & iuri renunciant, vt maiorem prabendam obtineant, vel hoc certam summam pecunia consequantur. quod eisdem honestati est contrarium, & simoniacam proculdubio continet prauitatem. Generaliter itaque teneas, quod commutationes prabendarum de iure fieri non possunt, præsertim cum pacto præmissa, qua circa spiritualia vel connexa spiritualibus labem continet semper simonie. Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licet poterit in no loco ad alium trāsferre personas: vt qua vni loco minus sunt vtilis, alibi se valeat vtilius exercere.

Urbanus hic Tertius vnico duntaxat intermedio Lucio 3. mox Alexandrum III. secutus est successor; qui quod ab Alexandro constitutum fuerat in illo Concilio Turonensi paulò superius memorato de non permutandis dignitatibus ecclesiasticis, id ipsum generaliter de Præbendis vel beneficiis omnibus ecclesiasticis (præsertim pacto præmissa) permutandis constituit: permittit tamen Episcopis potestate transferendi personas ecclesiasticas in alium locum si causa subsit idonea. Præfuit autem Urbanus is Apostolicæ sedi ante annos iam præcise quadringentos, cum Synodus illa Turonensis viginti circiter annis antè fuisset celebrata,

38

*Argumentum  
huius Capit.*

39

*Tempus.*



brata, nempe sub annum Christi millesimum centesimum sexagesimum quartum sicut ad Siegeberti Gemblacensis Chronica videmus adnotatum. Reperit itaque nobis hoc permutationum beneficialium ius primū Gallia, cuius mali mores per tēpora planè schismatica (dum alij Clericorum Frederico Imperatori in ecclesiam catholicam sœuienti, alij falsis adherere Papis, alij legitimo suo coniungi desiderabant Pontifici videlicet Alexandro III.) bonarum constitutionum harum primam dederunt occasionem. Contextus integer ex editionibus antiquis erit examinandus.

40  
Occasio primari permutationum beneficialium è schismatibus.

41  
Permutatio quid.

Ait Pont. *Commutationes Prabendarum*. Permutationem dicas an commutationem nihil refert. res est eadem. quam vel definire vel describere nihil attinet, cum satis nota sit ex iure civili l. i. ff. de rerum permutat. quin & ex apertissima per sese vulgoque notissima vocis acceptione, rei scilicet pro re datione. Quamquam semper meminisse debemus ac mordicus retinere, id quod ex eadem l. i. fere depromptum Pontifex inculcat alibi, Permutationem inter contractus bonæ fidei computari neque cum alio quàm cum Domino vel cum eo qui habebatur loco Domini legitime posse celebrari. c. cum venerabilis. vers. ad hæc. in verb. cum permutatio. de except. Quo ex fundamento non paucarum dependet quæstionum grauissimè controuerti solitarum resolutio. quarum princeps & prima sit hæc, An ex causa permutationis resignari beneficium possit alicui